

389. 390 = 1313 — 1326. 1326 — inscr. Rud. (?)	} LXXX
I. i	
K. k	
(L. l	
M. m	
N. n	
O. o	
403. 404 = Rud.	

Ex quibus paginis commode vel non ita difficulter expedire posse sibi visus est Loewius hasce: 99. 100. 120. 121. 122. 124. 125. 126. 133. 134. 136. 139. 140. 142. 146. 147. 148. 158. 164. 165. 166. 171. 172. 173. 174. Quamquam ne in his quidem locos difficiliore omnino deesse consentaneum est. Maiorem molestiam praebuerunt paginae hae: 110. 115. 116. 117. 119. 131. 132. 137. 145. 157. 159. 160. 163. 341. 342. 356. 389. 393. 394. 395. 398. Perdifficiles vero diverso modo reliquae sunt: 109. 118. 123. 135. 138. 141. 345. 346. 351. 352. 355. 390. 396. 397. 399. 400. 405. 406. 419. 420. Ex qua paginarum condicione lectionis maiorem vel minorem fidem pendere facile intellegitur. In apographo conficiendo Loewius praeter Ritschelianas lectiones non modo Studemundianas, sed etiam Geppertianas diligenter adhibuit: itaque has omnino omisi, illas plerumque non commemoravi, nisi ubi aliquid discrepantiae notandum fuit. Discrepantias autem lectionum a Studemundo post Loewii curas editarum, quoad eius fieri potuit, exhibui omnes, sed ut Loewii lectiones iuxta cum illis ponerem. Ceterum me in adnotatione fere eandem quam in reliquis fabulis a me et Loewio curatis rationem secutum esse, de qua in praefationibus Mercatoris et Epidici dictum est, propterea moneo, quod Schoellii mei ratio (cf. Truc. praef. p. XIII) paullulum discrepat. Quaecumque igitur puncto notatae sunt litterae, tenendum est in palimpsesto aut prorsus evanuisse aut intercidisse una cum membranae particula aut nova scriptura obductas esse. Inscriptiones paginarum sunt $\overline{\text{PSEU}}$ et $\overline{\text{DOLUS}}$; $\overline{\text{DOLUS}}$ tantum apparuit in paginis 165, 171, 341; nihil apparuit in pagina 118, inscriptio deest in pag. 390, ut quae et ad Pseudolum et ad Rudentem pertineat, et in p. 119, in qua Pseudoli didascalica exarata